



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput III. Conditiones in Beneficiatis requisitae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

CAPUT III.

*Conditiones in Beneficiatis requisitæ.*

Quoad illum, cui Beneficium confertur, hæc  
Lex jure requiruntur: 1. ut sit Clericus;  
2. ut sit legitimus: 3. Parochiæ præficiendus ut  
vigefimum quartum ætatis annum attigerit: 4.  
ut nullo canonico impedimento laboret, neque  
irregularitate, neque excommunicatione: 5. ne  
aliud

1. contra justitiam distributivam, quam proximo:  
2. contra caritatem & justitiam legalem quam Ec-  
clesiæ debent, eorumque damnorum, ac pecca-  
torum reos se faciunt, quæ ex hac injusta pro-  
motione sequuntur. Hinc Lateranense IV. Con-  
cilium eisdem sub pœna suspensionis a collatione  
&c. præcipit, *ut prætermittis indignis idoneos  
assumant, qui Deo & Ecclesiis velint, & valeant  
gratum impendere famulatum* (Cap. Grave. de  
Præbend.). Tridentinum Concilium hoc ipsum  
confirmat (Sess. 7. de Reform. cap. 3.), provi-  
sionesque aliter factas irritandas esse decernit.  
Imo de Beneficiis curatis agens (Sess. 24. cap. 1.)  
declarat, *omnes & singulos mortaliter peccare,  
nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi  
judicaverint eorum exigentibus meritis, præfici  
diligenter curaverint.* Idque etiam de parochiis,  
intelligendum esse postmodum S. Pius V. decre-  
vit (Constit. 33.). Et Innocentius XI. hanc  
damnavit propositionem: *Cum dixit Concilium  
Tridentinum eos alienis communicantes peccare mor-  
taliter, qui nisi quos digniores, vel Ecclesiæ ma-  
gis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent,  
Concilium vel 1. videtur per hos digniores non aliud  
significare, nisi dignitatem eligendorum, sumpto  
comparativo pro positivo; vel 2. locutione minus pro-*

aliud habeat Beneficium, uti fufe probamus.

Verum præcipua conditio est divina vocatio sine qua cætera nihil profunt ad quam tamen minus hoc sæculo attenditur. In veteri lege Aaronem & Levi tribum inter cæteras Deus elegit, ut tabernaculo ministraret. Core, Dathan, & Abiron palam punivit, qui Sacerdotium usurpare voluerunt. Labente jam Judæorum regno turbata est hæc vocatio ambitione quorundam, qui a postremis Regibus, aut Romanis Sacerdotium emerunt. At in Christi Ecclesiæ capite evidentius vocatio elucet. Sanctus Paulus ait: *Non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Hebr. 5.)

*propria ponit digniores, ut excludat indignos; tandem loquitur 3. quando fit concursus. Sancti Patres volunt, & post eos sanctus Thomas, ut peccatum acceptionis personarum evitetur, ut quodvis etiam simplex Beneficium assumendum esse meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune (2. 2. Quæst. 63. art. 2.)* Hæcque regula etiam in resignationibus est attendenda. Ut igitur Collator, Elector, resignans &c. illius, cui Beneficium conferatur, idoneitatem ipse sibi perspectam habeat, necessarium est, nec sufficit, si nesciat, esse indignum. Unde ne indignum præsentandi, vel eligendi periculo se exponat, diligenter apud impartiales, num ille idoneus sit, inquirere tenetur. Obligatio hæc clare ex Tridentini verbis, & ipsius Collatoris, Electoris &c. officio fluit. Vid. Antoine *Tr. de Benefic. S. V. Quæst. 6.*

III. *Conditiones in Beneficiatis requisitæ.* 529

Hæc verba valde sunt ponderanda : 1. enim observare oportet, Christum ab æternitate esse Dei filium, nec Sacerdotem factum nisi in plenitudine temporum ; 2. licet Christus Dei filius fuerit, & Sacerdotio dignissimus, non tamen Pontificatum sibi usurpasse, sed a Patre suo Sacerdotem electum, sicut subdit idem Apostolus : *Quemadmodum & in alio loco dicit ; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Unde evidenter infertur oportere, ut Dei filius vitæ innocentia sit qui Ecclesiæ ministerio fungitur. Quamobrem Concilia tot canones sanxere, quibus ad ecclesiastica ministeria aditus iis clauditur, qui corporum suorum puritatem violarunt, aut pœnitentiam publicam exercuerunt. Verum hoc exemplo vocationis divinæ necessitas potissimum demonstratur ; si enim Christus Jesus, qui omni ad Sacerdotium necessaria sanctitate fulgebat, non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, quomodo id licebit hominibus, qui ejusmodi sanctitate nequeunt clarescere ? Dei filius suam formans Ecclesiam idem est executus, quod Pater secum gesserat ; hinc Apostolis ait : *Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos (Joan. 20.)*. Hanc regulam Apostoli tenere ; cumque Judæ locum deberent implere, *statuerunt duos, & orantes discerunt : Tu Domine ostende quem elegeris (Act. 1.)*. In provinciis vero, quibus Evangelium annunciabant, ipsi eligebant homines, quos Episcopos crearent. Concilia deinde harum electionum formam statuerunt, & sexcenta exempla Historia ecclesiastica illorum refert, qui

non modo Episcopatus non ambierunt, sed pro virili recusarunt. Sed cum ambitio in Ecclesiam irruerit, & Ecclesiae spiritus pene sit extinctus, quod boni olim formidabant, hoc modo ambiunt homines, qui honorem solum & temporalia commoda in Ecclesiasticis dignitatibus quaerunt, nec quid intentatum relinquunt, ut impotiantur.

Casuistae novi plerique ab antiquis adeo regulis recessere, ut licentiae habenas laxarent. Salutarem hanc vocationis doctrinam saeculi corruptio paullatim abolevit, pauci hodie sicut oportet illam perpendunt. Attramen neque hominum ambitio, neque novorum Doctorum sophismata, neque hujusce saeculi abusus divinam hanc regulam umquam destruent; verumque semper erit Dei vocationem ad Ecclesiastica suscipienda ministeria omnino esse necessariam. Hinc omnes ad obtinenda Beneficia industria, omnia laxorum Casuistarum sophismata, & aulicorum conventiones sunt penitus eliminanda. Si quis vero petat, an hac vel illa via Beneficium consequi possit, ante omnia est interrogandus an a Deo si vocatus, & an a sacris Canonibus requisita habeat? Si haec desint, non ultra in hoc negotio est procedendum; sed respondere illi oportet, nullo modo posse illum Beneficium quaerere, & hoc ipso esse Beneficio indignum, quo illud quaerit (a). Si a Deo esset vocatus

(a) Qui Episcopatum desiderat (ait Apostolus I. Timoth. 3.), bonum opus desiderat, si nempe

vocatus, non illi opus esset malis aut obliquis artibus uti; siquidem Dei providentia, a qua esset electus fortiter illum ac suaviter ad Ecclesiastica ministeria proveheret. Hujus argumenti parvum Tractatum conscripsi, quem evolvere lectori suadeo.

CAPUT IV.

*Beneficiorum pluralitas vitiosam radicem habet.*

Profligato simoniæ malo, Beneficiatis imprimis periculoso, jam de Beneficiorum pluralitate est agendum; hæc siquidem pestis nostro ævo Cle-

non suum honorem, sed pro Deo laborem desiderat. Ita certe desiderarunt, qui persecutionis tempore Episcopatum appetiere; quia tunc (inquit S. Gaudentius Brixientis *in eundem locum*) *Nihil aliud erat, quam optare quotidie millies pro Christo mori.* Ast hodie, cum fructus, & vectigalia, & honores Episcopatui aliisque Beneficiis sint adnexa, jam periculosum satis eorumdem desiderium erit. Unde verissima sancti Thomæ doctrina: *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus; & sic preces sunt pro indigno* (2. 2. *Quest.* 100. *art.* 5. *ad 3.*). Doctore Angelico sanctus Joannes Chrysost. præluxit, *Homilia 3. in Acta Apost.* hæc scribens: *Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinavis? Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad illum dictum est; & his dicitur: Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari Regnum Dei.*